



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

299. Quantum tempus à professione requiratur, ut quis eligi possit in Prælatum religionis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

nim est, dum conferuntur in commendam; via enim commendam beneficia secularia regularibus, & regularia secularibus, etiam si suos conventus habeant, & in eis vigeat regularis observantia, à Papa duntaxat obvenire possunt. Fagn. *in c. cum ad nostram de elect. n. 2. & seq.* quod ipsum non improbat, aut prohibet Trid. quin potius tacite admittit, dum prohibendo secularibus conferri beneficia regularia, adjecit hæc verba: *in titulum.* & quamvis sess. 25. c. 21. caverit, ut monasteriis habentibus suos conventus, quæ tunc commendata reperiebantur, præficerentur regulares ejusdem Ordinis; uti & iis, quæ imposterum vacabunt, Ea tamen non dici præceptivè, ut tenuit Rota, sed solum consultivè & optativè, declaravit S. Congregatio, ut refert Fagn. n. 10. juxta quem nihilominus verè præceptivè statuit, ut, qui ea monasteria, quæ sunt velut capita Ordinum, (quale v. g. est Cistercium respectu Ordinis Cisterciensis) in præsentem in commendam obtinent, intra sex menses religionem istorum Ordinum solemniter profiteantur, vel eis cedant, aut aliàs commendam ista ipso jure vacare censeantur, nisi sit eis de regulari successore provisum. Vide etiam apud eundem num. 14. quid in genere de monasteriis in commendam dandis statuerit Concil. Lateran. sub Leone X. sess. 19.

*Questio 299. Quantum tempus à professione requiratur, ut quis eligi possit in prælaturam religionis?*

**R**espondeo: à Trident. *loc. cit. c. 7.* in monialibus requiri ad minimum 5. annos à professione, ut eligi possint in Abbatissas & Priorissas. Pro viris verò neque à Trid. neque à reliquo jure communi certum tempus statutum est; quare non prohibentur (nisi aliàs obtent specialia statuta Ordinis) statim à professione eligi in præfules regulares, modò sufficienter in observantiis Ordinis instructi, & aliàs qualitates requisitas habeant. Abb. *in c. cum in cunctis de Elect. n. 6. Pass. n. 348.* Neque nunc casus ille, qui alias excipitur *c. officii de elect. nimirum*, dum quis sit religiosus, & mox profitetur, & sic eligitur in prælaturam, locum habet; cum ex præscripto Trid. nemo admittatur ad professionem, nisi post expletum annum probationis. Quòd si tamen talis tam repente à professione electus non foret sufficienter instructus in observantiis sui Ordinis; uti & si justè præsumeretur in tali ambitio, electio ejus (etsi non esset ipso jure irrita, Suar. *to. 4. de relig. tr. 8. l. 2. c. 3. n. 7.*) foret tamen ad minimum irritanda vi *c. officii. Abb. ibid. alique, Pass. n. 248.*

## PARAGRAPHVS VI.

### De vocatione & vocandis ad Electionem.

*Questio 300. Cujus de jure vel consuetudine sit convocare Electores?*

**R**espondeo: id generali regulà definiti non possunt, cum diversæ sint electiones; alia Episcoporum, alia Prælatorum secularium, alia regularium, diversarumque regionum, religionum, collegiorum hac in re statuta & consuetudines. Quòd si non adsit, ad quem de jure vel consuetudine id spectet,

& detur aliàs in Collegio primus (quo nomine sine addito Prælato intelligitur primus ratione dignitatis, qui quæ propterea alios præcedat, & in actu collegii primam vocem habet Felin. *in c. 1. de major. & obedientia n. 5.*) ad eum vel si talis non detur, ad antiquiorem, non arate, sed servitio vel professione, id pertinebit. Sigism. *de Bon. de Elect. dub. 8. num. 11. Pass. c. 11. n. 4. & 8.* Porro in casu, in quo fortè ad universitatem ipsam seu Collegium spectaret convocare Electores omnes, disponereque de loco, & die electionis, v. g. dum is, ad quem id aliàs spectet, noleret eos convocare, & tamen Electores præfentes judicarent, non esse differendam electionem, si major saniorque pars moneat minorem absentem, obligabit eam ad comparandum, reddendo eam contumacem, si non compareat. *Pass. loc. cit. n. 11. & c. 14. n. 12. contra Abb. & Host. conformiter magis juri civili quàm canonico (quod ut patet ex toto tit. de his que sunt à majori parte. vult minorè partem stare iis, quæ à majore parte decernuntur) requirentes ad hoc, ut duæ partes Collegii sint simul congregata.*

*Questio 301. Quinam vocandi sint ad electionem?*

**R**espondeo: in genere omnes ii, qui debent, volunt, & possunt commode interesse electioni. *coram. & equia propter. h. t. & ibi. gl. Abb. Incol. & c.*

*Questio 302. Quinam intelligantur per eos, qui debent interesse electioni?*

**R**espondeo: omnes ii, qui de jure communi, vel Rex consuetudine, vel ex speciali privilegio, aliòve titulo jus habent eligendi. *gl. in c. quia propter. v. qui debent. Abb. ibid. n. 3. Tò debent* namque, non tam obligationem, quàm facultatem ibi significat, Suar. *de relig. to. 8. l. 2. apud Pass. cit. c. 11. n. 16.* Vocandi itaque sunt, quantum est ex hoc jure, absentes, nisi forte aliud habeat consuetudo, ad quam sufficere decennium, Tamb. *de jure Abb. in c. coram. & c. cum man. h. t. Pass. loc. cit. n. 13.* Secundò, qui licet à parte rei verum jus non habeant, sunt tamen in possessione eligendi (jus enim eligendi maximè sequitur possessionem. *c. in genesi. & c. querelam. h. t. Abb. ibid. n. 8.*) pacifica, non habentes jus expressum contra se, etiam si moveatur illis quæstio super proprietate beneficii seu canonicatus. *gl. in c. in genesi.* Quod tamen non admittunt Sanch. *l. 3. de matrim. d. 22. n. 49. Pass. n. 14. Navar. Sylv. & c. citati à Pass. nisi accedat titulus coloratus, à legitimo Superiore collatus. Quin & quodam extraneum non habentem titulum ad eligendum, nisi possessio pacifica bonæ fidei sit legitime præscripta. Pass. *ibid.* Tertiò, quòd hinc sequitur, tolerati excommunicati, suspensi, privati voce & c. de quibus, *s. præcedenti, cum non nisi non tolerati excident jure eligendi. Pass. loc. cit.* Quarto Canonici, adhuc novitii in aliqua religione. *gl. in c. benef. de reg. in 6. Lavour. r. 17. n. 5. apud Pass. n. 12.**

*Questio 303. Quid intelligatur per hoc: qui volunt?*

**R**espondeo: ex his verbis deducere DD. non esse electores cogendos ad comparandum pro electione faciendâ. Abb. *in c. quia propter. h. t. Host. in sum. tit. de elect. s. qualiter faciendâ. n. 11.* Quo tamen non obstante, si specialiter interfit Ecclesiæ (vel etiam sic consuetudo, aut statutum Collegii, quod etiam penale est & conformiter juri fieri potest à capitulo. Laym. *de elect. g. 45.*) ut omnes, qui adesse pos-